



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

67. An beneficia regularia electiva admittant manualitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

*Quæres 67. Num beneficia regularia electiva manualitatem admittant, sumendo beneficium regulare pro quacunque præfectura regulari, quocunque nomine nuncupetur?*

**R**espondeo negativè: Azor. *loc. cit. q. 5. Lott. n. 73.* cum communi: hæc enim eo ipso, quod per electionem conferuntur, non habentur à superiore simpliciter, sed à majore quadã vi & potestate: nempe ab ipso Collegio, in quo radicatur, & à quo fluit & refluit omnis jurisdictio. Argumento *c. 3. 4. & 5. causa 18. q. 2. Lott. loc. cit. n. 74.* talia sunt Abbacia, Prioratus, conventuales, (secus est de claustrali Prioratu; qui præterquam quod non per electionem constituatur, sed v. g. per Abbatem, non est administratio aliqua aut officium cum jurisdictione; sed simplex quadam procuratio & agentia, indè que revocabilis ad nutum. argumento *c. cum ad monasterium. de statu monachorum. Lott. n. 70.*) & similia, quæ etiam si à conventu viâ electionis; à conventu tamen removeri non possunt, nisi in causis in jure expressis: nam ubi tales electi sunt, ulterius non subjacent potestati Conventus, *Lott. n. 75.*

*Quæres 68. Num manualitas cadat in beneficia regularia curata, hoc est, parochialia; supponitur enim de jure neque esse prohibendum monasterio, habere curam animarum; sive quia habet populum, sive quia Ecclesia aliqua parochialis illi est unita, vel de mensa ipsius monasterii, juxta Clem. unic. de excess. Prælat. Lott. n. 94. neque etiam jus simpliciter improbare consuetudinem regendi vel exercendi curam per ipsos regulares, adeoque id consuetudine, vel etiam ex fundatione induci posse. Rota Decis. 204. p. 2. Recent. Abb. in c. de capell. monach. n. 6. Lott. cit. l. 1. q. 33. n. 87. Neque his obstare c. placuit secundum 16. q. 1. ubi vetuit Eugenius per monachos exerceri curam animarum; eos enim solos tangit, qui temerario ausu exeuntes de claustris motu proprio se ingerunt cura animarum in Ecclesiis. ibid. Rot. loc. cit. Turrecrem. etc. quos citat & sequitur Lott. n. 82. Neque cit. c. 1. de capell. monach. ubi Urbanus 3. vetuit in Ecclesiis, in quibus monachi habitant, regi populum per monachos; intelligitur namque solum de Rectore amovibili. Lott. n. 86. de cetero quoad alios religiosos non monachos nullatenus egit. his suppositis quæstio, ad quam nunc*

**1.** Respondeo: beneficium regulare curatū posse esse ad nutum amovibile ex lege fundationis constituyente, quod cura debeat esse penes monasterium, aut ejus prælatum, & tamen ea actualiter immediatè exerceri ab aliquo illius monasterii religioso amovibiliter ad nutum. Rebus. *conf. 113. n. 1. citansque illum Lott. cit. q. 33. n. 94. & seq.* Suppono siquidem hæc duo, curam animarum, & hujus curæ exercitium distincta esse, & ab invicem separabilia; ita ut apud unum sit cura saltem habitualis, apud alterum nudum exercitium.

*Abb. in c. extirpanda. de præb. in 6. Mandos. quos sequitur Lott. n. 89. & l. 1. q. 20.* Suppono secundò: hanc fundatoris legem et si videatur esse contra jus commune, servandam esse juxta dicta supra. Unde poterit jam in hoc casu religiosus, seu obedientiarius ad libitum Prælati amoveri, absque eo etiam, quod contradicatur illi, quod responsum fuit ad *q. 29.* Quodque sequatur absurdum illud, de quo *Gl. in c. unicum. de capell. monach. in 6. fore* nimirum ratione illius amovibilitatis matrimonium temporale inter Ecclesiam talem & præfectum curæ animarum; in ea siquidem Abbas seu Prælati in dicto casu est sponsus seu rector Ecclesiæ, & non obedientiarius ille; quia absque omni titulo nudum exercitium alieno nomine promoveret; quemadmodum, dum in quibusdam Collegiatis secularibus cura est penes capitulum, is, cui ea à collegio committitur, præsertim non in perpetuum, (neque enim teneri Ecclesiam Collegiatam præcipuè regularem, quæ pleno jure sibi subjectam habet parochialem, præscindendo etiam à lege fundationis sic jubente, curam exercere per Vicarium perpetuum. *Gloss. in Clem. unic. de excess. Prælat. Bellam. & c. quos citat & sequitur Lott. n. 93.* et si ad id teneatur vi *cap. extirpanda. de præb. in 6.* ubi non pleno jure, sed titulo tantum simplicis unionis subjectam habet Ecclesiam, uti *cit. c. extirpanda* explicat; & cum præcit. *gl. conciliat. Prob. apud Lott. loc. cit.*) non dicitur illam administrare suo, sed alieno nomine, & jure.

**2.** Respondeo secundò: idem fieri posse per præscriptionem 40. annorum. *Lott. n. 97.*

**3.** Respondeo tertio: è contra beneficium regulare curatum non erit removibile, dum præsentatus à monasterio regularis ab Episcopo confirmatur, seu instituitur jure aliquo singulari, seu privilegio, aut lege fundatoris contra dispositionem juris communis (quod aliàs ut *ex c. 1. de Capell. monach. & c. unico eodem tit. in 6.* vult in iis institui presbyterum secularem in Vicarium perpetuum) sic statuente *Lott. n. 98. Pirh. ad tit. de præb. n. 14.* citans *Azor. p. 2. l. 3. c. 26. q. 5.* Vide etiam *Suar. tom. 4. de relig. l. 3. c. ultim. n. 23. & Sanch. in Decal. l. 7. c. 29. n. 118.* Tunc enim inamovibilitatem illius obedientiarii operabitur auctoritas Episcopi, & prærogativa curæ populi. *Felin. in c. per tuas. de major. & obed. n. 4. Franc. in c. unic. de capell. monach. in 6. n. 5. apud Lott. loc. cit.* Duæ siquidem hic concurrunt institutiones: prima collatoria tituli, quæ est à Prælato regulari talis monasterii: secunda est institutio, quæ dicitur auctorizabilis; & est ab Episcopo tantum cadens in ipsam curam; & licet dum Ecclesia parochialis pleno jure pertinet ad monasterium, non videatur Episcopo permessa ista institutio auctorizabilis) quæ nec in exemptis locum habet, ut *Seraph. decis. 1304. n. 3.* in effectu tamen implicita est provisioni facta ab Abbate monasterii, qui censetur jure proprio instituire Vicarium institutione collativa, & eundem instituire vice Episcopi institutione auctorizabilis. *Anchor. & Jo. Andr. in c. de monachis. de præb. apud Lott. n. 100. & 101.*

*Quæres 69. Num ergo etiam detur beneficium regulare curatum independentè à tali tam implicita, quàm explicita institutione Episcopi inamovibile?*

**R**espondet affirmativè *Lott. n. 102. & seq.* dando hunc casum, dum nimirum monasterium

rium